

IACOBI THEODORI KLEIN

SECR. CIV. GED.

SOC. REG. LOND. ET ACAD. SCIENT. BONON.

MEMBRI

QVADRVPEDVM

DISPOSITIO

BREVISQVE

HISTORIA NATVRALIS.



LIPSIÆ

APVD IONAM SCHMIDT, BIBL. LVBEC.

1751.

PORCVS. curvis; duobus e maxilla inferiori, totidem ex superiori carnem rostri perforantibus; qui suos habent alveolos. Sus dentibus duobus fronti innatis. *Linn.*

PORCVS GVINEENSIS, auribus longis & acutis plane & prolongatis acuminibus; pilis brevibus, rufis, non setis, quibus caret in dorso; quos tamen versus caudam & collum habet. *Marcgravii.* Sus dorso pone setoso, cauda nuda. *Linn.*

§. XI.

FAM. III. TRICHELON.

RHINOCEROS.

RHINOCEROS. A *Pis* et *negas*. Naricornis *Catelanii*. Abada, Noemba *Javens*: Elkerkedom *Perfis*. Tuabba, Nabba, *cap. b. spei*. Nozorożec, Zebati *Polon*. Rhinocerote *Ital*. Le Porie corne *Gall*. Gomela Indis. Nasehorn.

Recte *Aldrovandus*: quod nullum animal, cujus natura magis sit in lubrico incertoque. Addit autor: licet secundum nonnullos duo animal habeat cornua, etymon tamen ipsi a priori, quod in naso fortius & utilius præ altero paulo supra fronte; & **WORMIVS** Mus. p. 336. varie a multis describitur, qui eum non viderunt, quo circa & errores haud paucos in ejus historia cernere licet apud autores.

Dalechampius (ad *Plin.* Lib. XI. c. 27) septem unicornua quadrupedia observasse vult, ad quorum censum Rhinoceros communiter referri solet. *Plin.* ibid. Aliis singula (*cornua*) & hæc medio capite aut naribus; & Lib. VIII. c. 20. Rhinoceros unius in nare cornu, qualis sæpe visus.

De famoso Unicornu terrestri, Licorn, Einhorn, supra §. IV. C In præsentiarum **RHINOCEROTIS** historiam premimus, cujus præcipuas corporis partes externas lustrare, tandem perpendere animum tenemus, utrum Rhinoceros *unicum* in proboscide, an vero *duplici* gaudeat *cornu*?

Jac. Bont. L. V. c. 1. nos certiores reddidit, se non solum in India orientali, sed quoque in universa Asia & cavæ inclusum & in sylvis vagans vel millies vidisse animal. Sequamur ejus descriptionem, quam cum aliorum scriptis, simul ejus figuram cum *Chardinii* Itin. II. p. 60 & *Parsonii* Trans. Angl. No. 470 conferre liceat.

Dicitur cute cineritia & nigra, instar elephantinæ; ab aliis coloris murini; secundum *Plinium* flavescens & buxini. *Chardinus*: Sa peau est d'un gris, tirant sur le noir, comme celle des Elephants, mais plus rude & plus épaisse; similiter *Strabo* sustinet elephantinum colorem, non buxinum esse.

Dn.

Dn. C. A. van Bergen orat. de Rhinoc. fusci coloris animal ait; In Museo *Moscardo*: E di color simile al Bosso. Sic præter *Plinium* & *Moscardum* omnes autores cum *Bontio* sentiunt.

Pellis tota calvet, hinc inde, monente *Bontio*, paucissimis pilis stipata; secundum *van Bergen* et *Kolbium* animal omnino caret pilis. Melius *Parson*: quod non nisi in auribus & in extremo caudæ pilosum. Sic pellis nec squamata, nec loricata, nec sulcata, modo quo *Albertus Dürer* ⁽²⁴⁾, quem omnes pictores sunt secuti, primum bestiam repræsentavit; similis figura apud *Kolbium* ex inadvertentia Editoris apparet, quod talis transformatio textui & descriptioni autoris minime respondet; interim cutis variis in locis plicaturis admodum rugosa, reticulata & valde crassa, quæ ictui Machææ Japonicæ facile resistit. Tali modo rugæ et plicaturæ peltas mentiuntur atque umbones; omnes *Parsonius* ubique et accurate indigitavit; conferatur hoc loco effigies, quam *Dn. Albinus* (in tab. anat. VIII.) fieri curavit; insuper pellis est granulata ad instar cutis piscium ex Canum marinorum genere, qua thecæ cultrariæ superinduci solent; de illa sic *Chardinus*: Cette peau est couverte par tout hormis au cou et à la tête, de petits noëuds ou durillons.

(24) *Düreri* iconem et *Laurent. Catelanus* transsumsit; nec non *Giov. Jac. Rossi* nuova Racolta de li animali piu curiosi, in Roma 1650.

Pro ratione vasti capitis animal oculos habet parvulos; nec limis oculis ad dextram vel ad sinistram, sed non nisi corpora e diametro sibi opposita videt bestia.

Rostrum *Bontio*, *Plinio* et *Straboni* proboscidi Apri simile apparet; de quo *Bontius*: rostro est suillo, non tamen obtuso, ut *Suum*, sed acutiore, et *Strabo*: forma Apro proxima, præsertim quoad rictum; *Dappero*, qua externam speciem animal partim Apro, partim Tauro simile videtur. *Bironius* curios: de la nat. & de l'art p. 138. plura vidit, inquiens: Le Rhinoceros ressemble à un sanglier plus qu' à tout autre animal; et secundum *van Bergen* non nisi aures habet suillas, quas pro lubitu erigit deprimitque. In Sumetra maximos stabulare dicitur Rhinoceroses, prout Couamæ maximos Elephantes *Jo. Mocquet* IV. p. 199. Illos *Pausanias* Æthiopicos Bovēs vocat, conf. *Franz Velez* hist. de les anim. p. 49. *Bontius* corporis altitudine Elephantum æquare vult, pedibus tamen brevioribus; a *Strabone* cum Bubalo comparatur.

Mandibula inferior Tauri est, superior Equi; hæc, prout Equi, fœnum ex retinaculis depromere gramenque a solo in os colligere didicit, quippe superius labrum ultra 6 pollices exacuare potest, quo quæcunque prehen-

RHINOCEROS. *sa* velut sinuoso digito pertinaciter tenet. *Parsonius* observavit linguam laevem, contra aliorum autorum opinionem, sed labia rigide scabra.

A *Bontio*, *Chardinio* et *Parsonio* Rhinoceros tanquam mansuetum et sociabile animal laudatur; irritatum crudeliter saeviens. Mite animal Rhinoceros inquit *Amar. Lusitanus* in Diosc. Lib. I. enarr. 52; et *Martialis*:

Seque diu magnæ colligit ira feræ.

Vide apud *Bontium* historiam de quodam equite a laceffito Rhinocerote persecuto; demum bestia inter duas arbores hærente, et sclopo necata; esuriens quoque vel plagis excepta vultuosa fit et morosa. Fortitudinem præbuit, quoties coacta fuit⁽²⁵⁾ Romæ cum Elephante vel alia fera duellum inire; tale prælium et *Ulissiponæ*, *Emanuele* regnante, anno 1515 obtinuit; qui animal Romam misit, quod verò, referente *P. Jovio* Lib. I. c. 2 ex cavea eruptum in scopulis ligusticis interiit. Imperante *Heractio* Rhinoceros una cum Elephante in arena extinctus, de quibus Poëta *Croce Rocq*:

che ambo moriro, et terminar non lice

Qual si fuisse di lor la vincitrice.

(25) *Martialis*: Sollicitant pavidi dum Rhinocerota magistri.

Pompejus hanc bestiam primus in civitatem introduxit. Me latet, utrum post annum 1685, quo talis bestia Londini visa, in Europa alibi, quam in Anglia Rhinocerotes comparuerint. *Van der Berge* bestiam de anno 1685 in ære sculptam exhibuit, cum subscriptione: Portrait au naturel d'un Elephant et d'un Rhinoceros arrivex depuis peu des Indes orientales; à Londres 1686 gravé par van der Berge. Denuo anno 1739 1 Jun. Rhinoceros Mas Bengalensis Londinum appulsi, rursus anno 1741 fœmina, quam *Dn. Parsonius* descripsit.

Ut Porcus grunnire perhibetur et prout Aper celerem cursum recta dirigere ad id, quod sibi in oculos cadit; quod si appropinquantis furorem homo sive in dextram sive in sinistram vel tribus passibus evitare potest, animal longius prætercurrit; sic repetitis vicibus salutem sibi servabit insectatus. Cum Tygride Rhinocerotem socialitatem colere, illumque hujus excrementis pro medicina uti, compertum habere volunt autores.

Rajus Syn. pedem habere anomalum vult in quatuor ungulas fissum, seu quadrifidum. Sed extra omnem dubitationem posuit *Parsonius* Trans. Angl. No. 470 ungulam esse bis sulcatam, consequenter tribus chelis pedes instructos, unde nobis *TRICHELON*; vide *tab.*; ibique pedes, quos *Parsonius* exposuit. Quo jure *Charletonus* Rhinocerotem ad Cervorum familiam spectare velit, hæsito.

Quod

Quod vero ad cornu vel cornua attinet, unde ipsi nomen est, nonnulli Rhinoceroti unicum in proboscide, alii duo adscribunt, *Labatus* vero relat. de l' Eth. I. p. 169 tria cornua adjudicat: „que le veritable „Rhinoceros en a trois, une au dessus des narines, une autre sur le front, „et une troisieme sur le dos, „; et postquam mentionem fecerit animalis unico cornu praediti, sub nomine Alicornu intelligit bestiam duobus cornubus munitam: „Alicorne a deux cornes, l'une sur le front, l'autre au „dessus des narines, „; nobis subolet, neutrum vidisse oculis suis. *Peyerus* merycol. et J. J. *Scheuchzerus* Phyl. Jobi culpant *Martialem*, quod huic animali duo adfinxerit cornua, quem et *Bochartus* Hier. III. c. 26. vel potius ejus epigramma 22 lib. de spect. longe lateque refutat, et corrigere allaborat, sustinetque *Scheuchzerus*, quod non nisi unicum in naso cornu ferat, unde est, quod cum *Ludolfo* contra *Bochartum* statuatur, laudatum ab antiquis Unicornu terrestre Rhinocerotem fuisse unicornem; huic sententiae subscribere non haesitamus ⁽²⁶⁾. *Bontio*, tanquam testi oculari omnique exceptione majori, plenissimam fidem debemus, Asiaticos ⁽²⁷⁾, et in India orientali Bengaleses, Cambajenses, Pananienses, Malaccenses, Giamenenses et Javenses secundum *Jo. Wolff. Heydt Schau*, *Pl. von Afr. u. Ost-Ind.* non nisi unicum cornu intervallo oculorum nariumque tenere; de his *Plinius supra*; et alibi: Magnitudo Tauri, forma Apro proxima, praesertim quod ad rostrum attinet, demto naso, cui cornu quoddam est recurvum omni osse durius; eo pro armis utitur, quemadmodum *Aper* dentibus; nec non *Oppianus* de Ven. II. v. 612:

*Rhinoceros oryge est aliquantum corpore majus,
Huic summo nasi succrescit acumine cornu
Funestum, gladius praecuta cuspide teter
Nam ferrum frangit.*

Ut *Dionem*, *Strabonem*, *Solinum* et plures antiquorum taceamus. Imo animalia, quae hactenus ex Anglia nobis innotuerant, testata sunt, se Unicornua fuisse.

(26) Vocabulum hebraicum: Rim vel Rem in Bibliis german. *Einhorn*, Unicornu. audit, in vulgata librorum Moysis et Jobi RHINOCEROS, in *Psalms* et *Esaia* Unicornis; versione persica Kerk: quod autem *Deuter. XXXIII, 17* et *Psal. XXII, 11*, multitudinis cornuum mentio sit, id circo *Hieronymus* textus explicat de Unicornu, quod duo habet cornua; conf. *Baccius* lib. 2 de Unic. et *Clapenberg* de creat. disp. 5 th. 10; Hic: „Animantium seu V seu VI die creatorum nomenclatura hebraica — hodie quidem admodum incerta est populis septentrionalibus, nec omnia — „genera — ita innotuerunt, ut vernaculis nominibus hebraica semper sine errore exprimitantur. „ *Gishertus Cuperus* quidem in *Epist. XXI. p. 75 ad Dn. la Croze* mo-

RHINOCEROS.

nocerotem appellat animal fabulosum, sed in Epist. XXIV. p. 83 hæsitare incipit, et p. 85 hæc habet: „D. *Witzen* iterum mihi loquitur de Monocerote, et ea quæ pro- fert, persuadent mihi, hoc animal revera existere ac reperiri;„ de cuius existen- tia quoque Abbatem *Bignonum* Epist. XXII. p. 251 et Ep. XXVI. p. 270. *Cuperi* ratio- nibus permotum intelligimus. Verum enim vero, si bene animo consideramus cornu *Dno Witzen* dono datum Epist. XXV. p. 86. quod ex *griseo nigrum et par- vis circulis circumdatum*, et p. 253. *longitudine palmae unius cum dimidia et quod excurrit, cuius color est subniger et fuscus, minime vero albus*, qualis esse debeat color istorum, quæ vulgo ab hoc animali desumpta esse perhibentur, tunc in suspi- cionem nobis venit, laudatum cornu fuisse RHINOCEROTIS. Summus Polyhi- stor G. G. *Leibnitius* Protogæa a G. L. *Scheidio* public. Gætt. 1749. §. XXXV ex- hibet effossum in Quedlinburgenfi monte Zenikenberga anno superioris seculi sexa- gesimo tertio, cuius *Gerikius* libro de Vacuo per occasionem meminit. Unicornis in posteriore corporis parte, ut bruta solent, reclinatum, capite vero sursum levato, ante frontem gerens longe extensum cornu quinque fere ulnarum crassitie cruris humani, sed proportionem quadam decrescens; Ignorantia fossorum contritum parti- culatimque extractum est et spina dorsi atque ossibus Principi Abbatissæ loci allata fuere, vid. apud autorem tab. XII — - mirabile audit ejusmodi illustre phænomenon 87 annos delituisse in obscuris, nunc demum in luce expositum; magis mira- mur adeo longum et ponderosum cornu animalis capiti proprium; sed transeant hæc.

- (27) Verisimile audit, *Moyfi* in Ægypto Rhinocerotes sive Africanos sive Asiaticos, mini- mum Rhinocerotem Asiaticum bene notos fuisse sub nomine *𐤓𐤍𐤕* vel *𐤓𐤍* pro anima- li sumto, quod uno cornu præditum, ex qua nomenclatura successu temporum sin- gulare aliquod animal enatum multis parasangis plane præstigiis profecutum, cui adulterinum tandem cornu in fronte positum, cuius gratia inter criticos tot præcla- ræ altercationes obortæ, de quibus *Peyerus* p. 44: „Apparet meridiana luce clarius, „quam frustra se quandoque torqueant et sudent critici nimis critici, dum inutili ma- „cerantur cura magnoque temporis dispendio sæpe de lana caprina rixantes quæsito „prolixitatis tædio magis absterrent lectores, quam doctrinæ præstantia et simplicita- „te alliciunt;„ quam regulam quidem optimus *autor* ipse non secutus, quando *Martialem* summopere debellare contendit, quod Rhinoceroti duo cornua calculo suo imposuerit.

Verum enim vero, cogimur nihilo secius affirmare, permultos auto- res animal bicornem pronuntiasse, procul dubio, quod non nisi bicornia vi- derint. Ex veteribus *Pausaniam* et *Martialem* nominamus. *Ille*: vidi etiam Æthiopicos tauros, quos ex re ipsa Rhinocerotes vocant, quod illis e nare extrema cornu prominet; et paulo superius alterum non sane magnum; „in capite nullum prorsus habet;„ *Hic*

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum.

Apud *Beyerum* numus Domitiani pariter duo exprimit cornua. *Scaliger* exerc. 205. effigiem animalis in Tyrrheno mari extincti, non quidem ani- mal ipsum, vidit, cuius in museo suo meminit *Moscardus* p. 235: „Che „haveva — due corni, l' uno picciolo posto nella fronte et l' altro robertif- „simo nel naso.„ Demum *Parsonius* cit. loco gemina ejusmodi cornua fere contigua super corio proboscidis, propemodum æqualiter longa, quo- rumque

rumque paulo longius 25'' angl. adæquat, ex gazophylacio naturæ vene-
 randi Senis Dn. *Hans Sloane* in Tab. III. cum publico communicavit; et
 apud *Olaum Jacobæum* Mus. Dan. p. 4. t. 3. f. 4. offendi duplex cornu, cu-
 jus alterum 2', alterum 1'. æquasse tradit; sic quoque *musæum Imperiale Pe-*
tropol. Vol. I. P. I. p. 338. inter animalia quadrupeda pedibus ungu-
 latis n. 23 mentionem facit Rhinocerotis duplicibus cornubus, sine ulteriori descripti-
 one. Simile *Schræckius* Eph. N. C. Dec. II. An. V. Obs. 245. p. 468. de
 genuino Rhinocerotis cornu apud *Jo. G. Michelium* Aug. Vind. Pharmacop.
 observavit ac descripsit, tandem concludens: „Ita certum aliquod Rhino-
 cerotis genus bicornè in locis quibusdam dari; illud vero, quod *Thom.*
Bartholinus observ. de Unic. c. 21. in Technicotheca Florentinâ vidit, pro
 cornu potius monstroso habendum, quorum plura in H. nat. occurrunt;
 vide monstrosa cornua apud *Marfillium* in opere Danub. Tom. VI.
 t. XXVIII, quæ Capreoli et tab. XXVII, cornua speciosa, quæ Arietis
 sunt. Ejusmodi cornua duplicia anno 1739 die 12 Junii intrarunt in
 thesauros Regios Dresdenses, testantibus litteris pie defuncti Do-
 mini de *Heucher*, quarum tenor ex vernacula sequens: „Satis arcte
 succedunt contigua et corio valde tenaciter inhzrent, ut nec ego, nec
 quisquam alius, fucum ullum observare possimus, quod nullo modo sint
 adglutinata vel aliter, pelli imposita; antè cornu conum repræsen-
 tat rotundum, posterius recurvum dorsum versus, per totam longitu-
 dinem in aciem quandam abit, ita ut animal, ambobus una cornubus
 corpori cuidam infixis posteriori secare et fatiscere valeat.„ Viri cujus
 celebris Successor in tuenda rerum naturalium amplitudine, *Eilenbergius*,
 de re metallica Consiliarius Regius, nuperrime me certiores reddidit:
 „Cornua intervallo 2½'' a se invicem distare, cornuque alterius linea recta
 altitudinem habere 15½'', in circumferentia baseos 20½'', quodque poste-
 rioris longitudo sit = 9½'', basis = 22''; quæ spolia a beato Dn. *Curt ab*
Insiedel quondam Curiz Regiz Marechalco deposita fuerint. Plura externa
 cornua me latent, nisi quod *Tesdorpfius* Lubecensis, in rebus naturalibus
 curiose doctus, mihi retulerit, se talia apud quendam Lubecz Observasse,
 quæ tandem in Museo Principis, nescio quo, deposita, seque similia Am-
 stelodami pridem vendita audivisse.

Ipse quidem simplicia majora et minora habui, non duplicia in pelle
 communi. Inpræsentiarum hujusmodi duo cornua cum inveterato corio
 cohærentia ex communicatione humanissimi Viri *Georgii Lehmanni*, Con-
 civis et Pharmacopolæ Gedan. Societati nostræ exhibui, iconesque vivis
 coloribus secundum magnitudinem naturalem ad archivum tradidi, hoc
 loco figuris ad quadram reductis; Tab. II.

Fig. I.

RHINOCEROS.

Fig. 1. Qua ratione cornua in proboscide confederunt. Anterius a basi ad apicem linea recta = 16¹/₂''; qua curvaturam = 19''; posterius a radice ad apicem obtusum linea recta = 11¹/₂ 6''', parum recurvum, quin conicz potius figura.

2. Repræsentat spolia inverso ordine erecta, cornu longissimo ad finistram.
3. Prout ambo in basi considerata, reclinata appareant. Peripheria cornu longioris in basi = 19'', brevioris pariter 19''; sic ambo evidenter habuerunt alveolos suos, de quibus BONTII cranium Rhinocerotis, altitudo cavitatis cornu longioris = 1¹/₂ 8''', brevioris = 1¹/₂ 10'''.

Exinde apparet, *Kolbium* erronee retulisse, quod Rhinocerotis cornu ossi capitis vel proboscidis sit connatum et cum osse continuum, quodque ad obtinendum spoliū una cum parte crānii (prout scribit) extirpari debeat.

Liquet ergo, Rhinocerotum duas minimum dari species, vel, si ambo quoad reliqua plane inter se conveniunt animalia, duas varietates, quorum alter unicornis, alter bicornis, prout modo duos novimus *Narwhales* Monodontem et Didontem. Cum vero supra testatum reliquimus, Rhinocerotes Asiaticos non bicornes, sed monocerotes esse, consequitur bicornes in alia mundi parte stabulare. In America neuter illorum reperitur, ergo bicornes in Africa quærendi. Post hæc *Cyprianum* ad *Franz*. Hist. an. p. 620. mecum sentientem offendi, nimirum: „Rhinocerotes non „esse tantum quærendos cum *Bontio* in remotissimis Orientis partibus trans „Gangem, sed in *Æthiopia* alibique in Africa reperiri, et cum a tempore *Pausaniæ* multi autores bicornium mentionem faciunt (28), quodque Romani has bestias opportune ex Africa nancisci potuerunt, præ illis ex India, recte cum *Parsonio* concludimus: Now we do not want sufficient Proofs to shew, that there is a Species of those animals in Africa, having two Horns on the Nose.

(28) Licet inficias ire nolumus, et Monocerotes Romæ fuisse, sine dubio ex Asia advectos, quod *Plinius* expresse ait, Rhinoceros unius in nare cornu, qualis sæpe visus. *Hamiltonius* equidem Hist. Ind. Orient. L. 1. connotavit, se in *Tierra de Natal* varia Rhinocerotum cornua vidisse *Bombagam* transferenda, et inter alia quoque tria cornua ex communi radice propullulata, quorum longissimum æquaverat 18'' alterum 12'', tertium vero 8 uncias, angustiora præ Indorum cornubus, mucrone peracuta; sed in his natura videtur luxuriasse juxta productionem cornuum, ideoque ad insolita vel anomala referenda.

Legi-

Legimus quidem in Relation. Hamburg. ad ann. 1744. No. XV, quod forte mares sint bicornes, fœminæ vero unicornes, qualis differentia sexus intercedat in Cervorum et Alcium genere, notorium enim esse, mares proceris, fœminas concisis donari cornubus; verum, quod cum pace Dni autoris dixisse velim, nobis non est notorium, fœminas Cervorum, Alcium et Capreolorum unquam cornigeras fuisse, ni aliquando phœnomenon aliquod apparuerit, quale deprehendimus apud *Bartholinum* in fœmina homine cornuta. Suspicamur itaque, clarissimum autorem a fœminis Rangiferorum, quas cornutas esse novimus, ad fœminas Cervorum Alciumque argumentari, interim solum maneat monitum præfatæ relationi No. XV adjectum, in rebus naturalibus admodum salutare: „Ne scilicet exterorum scriptis nimiam habeamus fidem, sed res ipsas, quantum fieri poterit, propriis oculis attente legamus.”

Cæterum laudatus *Tesdorpfius* ex relatione cujusdam Viri, qui ad Caput bonæ Spei per multos annos Centurionis vices subiit, acceptum habet, ipsum in Africa tam bicornes quam monocerotes vidisse, quod vero duplicia cornua rarissime pro spoliis reportentur, in causa esse, quoniam Venatores Afri alterum, quod breve, cornu minus curant, sed derelinquunt vel abijciunt. Forte Centurio in hunc sensum se explicavit, quod in Africa et duplicia et simplicia vel habuerit vel viderit cornua, Afri communiter breve cornu minus curantibus; quippe Vir probus et bonæ famæ cognomento *Biebering*, ex paterna linea collateralis quadam cognatione mihi conjunctus, qui per aliquos annos ad Caput bonæ Spei domicilium habuit, jam vero Gedani placida utitur quiete, extra quam spolia supra fata apud me viderit, me certiores reddidit, se non nosse in Africa Rhinocerotes nisi bicornes, quorum habitum formamque corporis ita descripsit, ut pro conditione hujus viri de narratione veri nullum dubium contraxerim, fidem suam obligantis, incolas Europæos ibi locorum has bestias non propter cornua persequi, ut pote, quæ in loco minus æstimantur, verum, quod plantationibus valde sunt nocivæ tellusque rurantur, ubi solum scindere damnosum, quodque Capenses ab interfectis animalibus nullum aliud lucrum reportent, quam plerumque cubicam orgyiam pellis, ex qua Larærii Infles, Anglicanis scuticis quadantenus similes conficiant, valore quandoque trium numorum argenteorum (Ducaton); raro autem venatores (præter juniores) unum alterumve vel aliquando junctim ambo cornua solvant et in signum debellatæ bestię in prædiis suis exponant; iterum iterumque deponens, se inibi locorum Rhinocerotes unicornes dari nunquam audivisse, nec aliorum præter bicornium cadavera vidisse,

E

idque

ΕΠΙΜΟΧΕΟΙ. idque de certa sua scientia, quod ipsemet lorariam artem pro servitiis Illustri Societatis exercuit.

Nec *Kolbius* alius, quam bicornis mentionem facit, cujus alterum cornu humile, in adultis circiter sex pollices altum, cum tamen nostras = 11". 6''' par. et si quando duplicia cornua ex Museo Dni. *Sloani* mentis oculis lustramus, cogitatione percipimus, ejusmodi animal non quidem speciem singularem, sed secundam varietatem sui generis absolvere, alioquin tertia foret species; sic et tertiam haberemus varietatem vel quartam speciem in Thesauris Dresdenibus.

Ubi denique *Kolbius* ratiocinatur, naturam animali humile cornu eum in finem dedisse, ut eo ipso furorem ejus compesceret, id probare nequeo, quin potius terribilem amborum armorum sustinerem valorem; quodsi enim ira defervescens in cursu, e. gr. saxum anteriori cornu ruraverit et altero simul susceperit, facili opera saxum vel pone vel juxta se vibrare valeret, simile experimentum in animali patrare potens, de quo *Martialis* l. Epigr. 9:

Quantus erat Cornu cui pila Taurus erat.

Considerandum insuper venit, quod nec duplicia illa et fere æqualia cornua ex Museo *Sloani* pro impedimento, ne scilicet furorem omnem exerceat, ut *Kolbius* vult, natura animali concesserit; neque in eo calculum nostrum sententiæ autoris addere possumus, quod cornu humilior minoris sit consistentiæ præ longiore. Corniculum potius ex simili substantia conflatum, et cum brevius sit, eo robustius majoremque vim perferre et exercere potest.

§. XII.

FAM. IV. TETRACHELON.

HIPPOPO- TAMVS. HIPPOPOTAMVS. Bupotamus. Bomarin. Behemoth *Grew*. *Lud.* The River Horseor, River-Oxe. Wasser-Ochs. Fluss-Pferd. Equus Niloticus. Foràs-elbar, *Egypt.* vid. Prodr. Quadr. p. 21. not. yy. TAB. III. Conf. Tab. III.

Dn. *Jussieu* Mem. de l'acad. des Sc. 1724: „Les Siecles - - ne nous „ayant ni detrompé du merveilleux de cet animal, ni guere mieux instruit „de sa figure et de son caractère, nous ne pouvons encore rien adjoûter „à ce que Pline en a dit - - quoique Belon nous en ait donné le dessein - - „et F. Columna - - un autre, neantmoins quelque exacts que soient ces „deux auteurs, ils ne sont pas allés d'accord sur la configuration de toutes „les parties d'Hippopotame etc. - - „ Interim conferendi *Belonius* et F.